solvere realiterque et in effectu circa acta praesentia castrensi praemi-
sliensi in castro praemisliensi reponere et relinquere nec iterum ab officio ef-
fidenbure aut quovis modo arestare sub vadio similis summae mille
florenorum pecuniae cum, in defectu solutionis summae praefatae essentialis ad
Nicolao vel illius successoribus pro die et tempore supra ad solvendum
irremissibiliter et de facto succumbendum. Quod vadium debet converti
prout iam exnunc convertetur in summam essentialem et capitale debitum
duorum millium florenorum pecuniae cum, et quod vadium iam exnunc summae
essentiali idem Stanislaus Starzechowski personali sua recognitio-
ne inhaerendo in toto priori recessioni adiungit annectit et associat
summamque capitalem cum vadio iungit, ita quod erit summa simul
iuncta duorum millium florenorum pecuniae. Qua quidem summa duorum
millium florenorum pecuniae debet se extendi prout iam exnunc extendi-
tur in et super omnibus haereditatibus et obligationibus mobilibus et immobilibus
bonis ipsius Stanislai Starzechowski et eius successorum per eum ubicumque
et quodcumque in regno Poloniae nunc et in posterum habitis. Nihilominus prae-
fatus Stanislaus Starzechowski se et successores suos super omnibus bo-
nis suis obligat praesentem inscriptionem ex his actis ad acta terrena prae-
misliensi ante decursum unius anni transfere transportare simulque
vel meliorem recognitionem facere vel prout praefato Nicolao Pieczanow-
ski vel eius successoribus utilius visum fuerit. Et circa transpor-
tationem inscriptionis praesentis Generosam Annam de Szczekarzowicze
consortem suam legitimam cum duobus amicis ipsius de linea pa-
terna proximioribus ad praefata acta terrena praemisliensi adu-
cere et statuere. Quae statuta tenebitur super inscriptionem praesentem
quo ad omnia iura sua reformatoria et adiutatoria et alia quaevis
sua in bonis ipsius Stanislai omnibus quolibet concernentibus consen-
tire eandemque in omnibus conditionibus punctis clausulis articulis
approbare et confirmare sub vadio similis summae duorum millium
florenorum pecuniae cum. Pro qua quidem summa duorum millium ipse Sta-
nislaus Starzechowski cum suis successoribus se se utare permi-
serit extunc a terris dictis iuribusque suis quibusvis propriis
ac iurisdictione sua quavis competenti terrae recedendo coram castrensi
capitaneali praemisliensi officio cui se actus praesentis respectu
cum omnibus bonis et successoribus suis subiicit in primo citationis ter-
mino tanquam peremptorio stare parere respondere, ac pro prae-
fata summa duorum millium florenorum pecuniae ab officio non recedendo sub
alia simili summa duorum millium florenorum pecuniae vadiisque satisfacere
decretumque et adiudicatum pati tenebitur et successores tenebuntur. Ex
minus ipsum primum tanquam peremptorium et alios subsequentes termi-
nos nulla re exquisita nec colore excogitato neque iudicio neque ex
traendo vera vel simplici infirmitatibus, Litis quibusvis regalibus
actione pro maiori, Litis restitutionis, bello, expeditione bellica, iurisdi-
ctione, aura pestifera, conventione generali vel particulari, statu-
tis et constitutionibus quibusvis novis vel antiquis laudatis et lau-
dandis decretisque antiquis regiae quibusvis evocatione de terra et di-
strictu absentia a regno legatibusque omnibus impedimentis servitio

reipublicae seu sacrae regiae maiestatis etiam extra regnum non defferendum nec
prolongandum neque se excipiendum, ac interregno minorennitateque successorum se
non defferendum, nec sibi dilationem ad annos discretionis recipiendum, ad quie-
tationem mortificationemque inscriptionis praesentis et ad cuiusvis se pro de iure
habere possit, ac ad munimenta quaevis lucrativa et verbalia dilatio-
nem seu dilationes sibi non assumendum. Allegationibus quod non feci evadendum vadium
faciam et facere me offero. Nec clausula nemine ad impossibilia tenere
et obligare se non defferendum, poena trium marcarum et triplici poena va-
dium seu vadia praenominata non evadendum. Traditione possessionis contra va-
dii et vadiorum. A decretis quibusvis tam in accessorio quam princi-
pali negotiis latis et factis nullas motiones cum appellationibus factis
et interponendum. Nec ad prosequendum easdem tam iudicem quam partem
non adcittandum. Mala citatione et intempestiva positione eiusdem ig-
norantia citationis ad terminum. Nec statuto illo quocumque est. Nemo
tenetur respondere nisi viso mandato vel eius relatione de posita citatione
utendum. Mala in lucro condemnatione malo processu iuris ac eandem con-
demnationem lucri processumque iudiciarium ignorantia et iuramento
corporali non evadendum. Evasionibus conversis praescriptionibus suspen-
sionibus. Immo nullis modis uno coloribus dilationibusque generalibus universis
quotquot solum sint et de iure consuetudineve observentur non utendum
et secum successoribus omnibus iuris remediis abrenuntiandum. Generale vel sibi
in auxilium contra inscriptionem praesentem eiusque defectum recipiendum suae
successorumque suorum sub ammissione totius causae ac solutione praefati
vadii et vadiorum. Quo vel quibus solutis utique inscriptionem praesenti et
omnibus in ea contentis satisfacere totius quoniam opus fuerit cum suis suc-
cessoribus tenebitur. Nulla in praecessis omnibus praescriptionis terrae diu-
turnitate temporis abusu inscriptionis praesentis obstare. Hoc specialiter
adiecto. Quod specialitas sic in quibusdam locis expressa non debet
derogare generalitati et e converso generalitas specialitati. Sed quicquid
omissum fuerit specialitate ea omnia contineri et concludere debet
in se generalitas et e contra. Ad quae omnia et singula praemissa in
praesenti inscriptione contenta praefatus Stanislaus Starzechowski personaliter
coram officio praesenti stans instando in toto priori recessioni consensit
praesentibusque consentit, omnesque onus inscriptionis praesentis in se sanis-
sores ac bona sua universa haereditarea et obligationis mobilia et im-
mobilia per eum quolibet et ubilibet in regno Poloniae possessa assu-
mpsit praesentemque assumit. Quod mentis firmatum est.

Zamoiskij tenetur alio

Comparens personaliter coram officio et actis praesentibus castrensibus castrensibus prae-
misliensibus nobilis Lucas Zamoiski mente et corpore sanus exnunc in iurisdi-
ctione sua quavis competenti terrestri recedendo, seque ad bonis et successoribus
suis omnibus iurisdictioni praesenti quo ad infrascripta tantum incorporandum pure
per expressumque recognovit. Quia nobili Vasilio Zamoiski eiusque le-
gitimis successoribus sexingentos florenorum pecuniae cum monetae polonicae certe vere
et liquidi debiti seu mutuatae pecuniae tenetur praesentemque inscriptione se

et suos successores super omnibus haereditatibus et obligatis mobilibus et immobilibus bonis suis nunc et in post habitis obligat et inscribit pro die et festo Conversionis Sancti Pauli apostoli in anno domini millesimo quingentesimo septuagesimo septimo proxime venturo solvere realiterque circa acta praesentia castrensi praemisliensi reponere et relinquere necnon ab officio effidiebere sub vadio similis summae sexingentorum florenorum poenae communis in defectu summae praefatae essentialis pro tempore suprascripti solutionis ad solvendum irremissibilitate et de facto succumbens. Quod quidem vadium cum summa principali extendetur in et super omnibus haereditatibus et obligatis mobilibus et immobilibus bonis ipsius Lucae Zamoeski et eius successorum. Nihilominus praefatus Lucas Zamoeski se et successores suos super omnibus bonis suis obligat praesentem inscriptionem ex his actis ad acta terrestria praemisliensi ante decursum unius anni transferre transportare similemque vel meliorem recognitionem facere. Sub vadio simili sexingentorum florenorum poenae communis pro quo quidem vadio tam et pro summa principali in eundem praefatus recognoscens cum suis successoribus citatus extunc a iurisdictione sua quavis competenti recedens coram castrensi capitaneali praemisliensi officio cui se actus praesentis respectu cum omnibus bonis et successoribus suis subiicit in primo citationis termino tanquam peremptorio stare parere respondere ac pro praefato vadio summaque principali ab officio non recedens sub alio simili vadio omnibus exceptionibus, conversionibus, praescriptionibus, suspensionibus, motionibus, appellationibus earumque prosequutionibus, vera vel semplici infirmitatibus, actione pro maiori, ad quietationem dillationem non petens, litis quibusvis regalibus, legalibus impedimentis, bello, sloquio conventione generalibus vel particularibus, expeditione bellica, seu militari, evocatione e proprio districtu, poena trium marcarum et tripleci poena ac aliis omnibus generaliter dillationibus iurisque remediis tam partem reiectis tantum quantum opus fuerit satisfacere cum suis successoribus tenebitur. Nulla in praemissis praescriptione terrestri obstante

Herborth tenetur Kolakowskij

Comparens personaliter coram officio et actis praesentibus castrensi praemisliensi Generosus Joannes Herborts de Fulstin et in Chlipie haeres olim Magnifici Joannis Herbort Castellani Belzensis filius mente et corpore sanus existens a terris dictis iuribusque suis quibusvis propriis recedens seque cum bonis et successoribus suis omnibus iurisdictioni praesenti castrensi praemisliensi quo ad actum effectumque inscriptionis praesentis attinet incorporans et inscriptionem publice per expressumque recognovit. Quia Nobilis Joannis Kolakowski eiusque legitimis successoribus centum quinquaginta florenos poenae communis monetae potius quemlibet florenorum triginta grossis computantur certi veri et liquidi debiti sive mutuatae pecuniae tenetur praesentique inscriptione se et successores suos super omnibus bonis suis obligat et inscribit pro die et festo sanctorum Simonis et Judae apostolorum proxime et immediate venturo solvere realiterque circa acta praesentia castrensi praemisliensi realiter reponere et relinquere, necnon ab officio effidiebere. In defectu vero solutionis et reponendi summae

praefatae pro tempore suprascripto extunc tenebitur praefatus Joannes Herborts vel sui posteri tenebuntur in bona sua haereditaria usque tres Cmetones sic dictos Andreas Demitr, et Matwiee in bonis villae Zamieszenicze consistentes dare et admittere realem introitum et actualem pacificamque possessionem per mensulam terrestrem quemcunque sub vadio similis summae centum quinquaginta florenorum poenae communis. Per eandem Joannem Kolakowski et illius successores bona praefata a introitione accepta ad festum Nativitatis domini proxime venturum et a praefato festo Nativitatis domini proximo in defectu exemptionis ad aliud simile festum Nativitatis domini et sic de anno in annum annis se sequentibus cum omni iure dominio et proprietate ac cum omnibus et singulis fructibus proventibus, attentionibusque universis nihil excipiendo modo obligatio tenendi habendi possidendi usque ad exemptionem summaque praefatae plenariam et integram persolutionem. Tenebiturque praefatus Joannes Herborts ac se et suos successores super omnibus bonis suis obligat eundem Joannem Kolakowski et illius successores in bonis praefatis ab omni quavis iuridica et extraiuridica impetitione omnibusque damnis iniuriis violentiis et impedimentis quarumlibet personarum status sexus et conditionis cuiusvis existentium praesertim vero a Generoso Alberto Herborts fratre suo germano. Tam ab omnibus et singulis inscriptionibus prioribus et posterioribus debitis venculis reformationibus, adventalitatibus cuiuscunque personarum factis et faciendis citationibus concitationibus, adcitationibus innotescentibus positis ponendis, Lucris pecuniis poenis damnis vadiisque tricatis et quibusvis processibus iuris totiens quotiens opus fuerit tuere deffendere evincere eliberare bonaque praefata munda et libera facere sub simili vadio centum quinquaginta florenorum poenae communis. Insuper etiam praefatus Joannes Herborts se et suos successores super omnibus bonis suis obligat praesentem inscriptionem ex his actis ad acta terrestria praemisliensi ad primos vel secundos terminos terrestres praemisliensi seu primam vel secundam citationem eorundem terrestrium praemisliensi ponendam transferre transportare similemque vel meliorem recognitionem facere sub simili vadio centum quinquaginta florenorum poenae communis. Pro quo quidem vadio seu vadiis praefatus recognoscens cum suis successoribus citatus extunc a iurisdictione sua quavis competenti recedens coram castrensi capitaneali praemisliensi iudicio seu officio cui se ad quod sequitur attribuitur cum bonis et successoribus actus praesentis respectu subiicit in primo citationis termino tanquam peremptorio stare parere respondere ac pro praefato vadio seu vadiis omnibus exceptionibus, conversionibus praescriptionibus suspensionibus motionibus appellationibus earumque prosequutionibus ad quietationem dillationem non petens vera vel semplici infirmitatibus actione pro maiori, litis regalibus, legalibus quibusvis impedimentis, bello, expeditione bellica, seu militari, seu Reipublicae vel etiam sacrae regiae maiestatis, etiam extra regnum, absentia a regno, legatione, evocatione e proprio districtu poena trium marcarum et tripleci poena ac aliis omnibus generaliter dillationibus iurisque remediis quibus se praesentibus abrenuntiat semotis et in partem reiectis tantum quantum opus fuerit satisfacere tenebitur et sui posteri tenebuntur. Nulla in praemissis omnibus praescriptione terrestri diuturnitate temporis abusu inscriptionis praesentis obstante. Quod mente firmatum est